



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 80. Hieronymi Wolffii obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Szent. XVI.
1580
 priusquam Christianam religionem amplexatus fuerat, Judaica superstitione infectus fuerit.

§. LXXX.

Hieronymi Wolffii obitus.

Tuan. l. c.
Abich Alam
deut. Philos.
1580
 Ex ceteris eruditis illius ævi Viris hoc anno obierat Hieronymus Wolffius ex nobilissima, ac pervetusta Rhætiarum familia Certingæ natus, qui a nativitate sua adeo infirmam corporis habitudinem fortiebatur, ut literarum laboribus omnino impar crederetur, quapropter ejusdem Parens nullum non movebat lapidem, ut Filium suum nonnihil ætate profectum a literarum studio arceret: ast scientiarum ardor in Hieronymo naturæ parcitatem superabat, hinc cum tanta literarum aviditate studiis vacabat, perinde ac si integra valetudine frueretur, cum vero ejus parens pecuniarum subsidia, quibus in Universitatibus literis incumbere posset, denegaret, adeo is sese demittebat, ut etiam in Tubingano Collegio apud nobiliores Scholares famuli obsequium deferre non recusaret, qua opportunitate usus cunctas temporis reliquias a famulatu suis Heris præstito liberas adeo utiliter impendit, ut tam græci, quam latini idiomatis perfectam cognitionem acquiret, ac postea utramque linguam non
 sine

sine magno applausu Comitum de Fugger liberalitate adjutus publice traderet: insuper præcipuos Constantinopolitanæ Historiæ Scriptores Zonaram, Nicetam, & Nicephorum Gregoras latine reddebat: demum vero in Collegio Augustano, ubi Bibliothecarii, & Rectoris munereungebatur, ineunte mense Octobri anno Christi millesimo quingentesimo octogesimo, ætatis suæ sexagesimo quarto calculi doloribus confectus obiit. Ceterum semper cælebs, atque ab omni rerum cupiditate alienus vixerat, præcipue vero hæc ingenii sui monumenta posteris reliquit I. tractatum de vero, & legitimo usu Astrolabii. II. opusculum de facili græcam, & latinam linguam ad discendi methodo. III. Orationes Demosthenis, & Isocratis, præter alias quasdam versiones.

§. LXXXI.

Primi Parisinæ Curiaæ Præsidis oratio ad Regem.

Cum in Blessensibus comitiis, quod *Argentre* Pragmatica Sanctio circa electiones *coll. jud. tom. 2. p. 452.* ad beneficia restauranda esset, sermo incidisset, hancque in rem Universitas, & Parisiensis Senatus Regi libellum supplicem esse porrigendum decrevisset,

Ss 5

fet,